

uk. 533, 28

Ob. m. II 100



ORATIONES II.

 DE PROVER,

BIO HEROVM FILII

NOXAE SVNT,

SCRIPTAE ET RECITATAE

in Academia Ienensi die 11. & 31.

Januarij A. O. R.

Cl. I. XCII.

A

M. VVolfango Heidero

Profess: Publ:



IHENAE,

Typis Donati Richtzenhan,

1592

D 25



Dr. M. H. 1653

Dr. 1653 22



ac
qu
pa

ac
m
sc
pr
ess
led
la
ru
me

MAGNIFICO ET AMPLISSIMO
Viro D. Marco Gerstenbergero I. V. D. & Il.
Iustriſſimorum Principum ac Ducum Saxonie
partis Vinariensis Cancellario vigi-
lantissimo, Domino & Pat-
trono suo plurimum
colendo.

D L I N I U S I N H I S T O R I A
naturali, auctor est, Vir Magnifice, bona-
rum literarum vindex acerrime: pomum
quoddam in syluis inhonorum nasci, tam
acerbi saporis, & ingrati, ut non nisi unum mandi-
queat: unde quidem & vnedonis nomen, quo nuncu-
pari vulgò soleat, inuenerit.

Cum hoc syluestri pomo nonnulli sunt, qui scite
admodum posse conferri putant illa scriptorum exa-
mina ἀνίσθημα καὶ ἰατρικὰ, quæ hoc tempore, non tam
scientiæ copia, quàm inopia conscientiæ, ubiq; locorum
prouolant, in quibus tamen plerunq; nihil queruntur
esse, quod semel visum reuisere, gustatum regustare,
lectum relegere cupias: quamvis hac censurâ nihil
labis affricare velint, aut aspergere necessarijs magno-
rum virorum lucubrationibus, quas suspiciunt vehe-
menter, & quotidie inspiciunt.

Istam igitur scribendi seu pruriginem, seu sca-
biem

biem reipublicæ literariæ non minus officere existi-
mãnt, quàm funestum illud Alexandrinæ bibliothecæ
incendium, quod auctores plurimos numero, genere
lectissimos, ætate per vetustos, auctoritate gravissi-
mos absumsit, & iteratâ quasi morte denuò mul-
tauit.

Quid enim aliud ominari nos, & augurari pos-
se inquirunt? quàm vetera, quæ tot iam seculis sui be-
neficio genij probè ferunt ætatem, quasi nebula, & nu-
be quadam nostræ scribacitatis obductum iri; si fœtus
tantum nuperi, & recentes ferantur in omnium sinu,
manibus omnium terantur.

Ego quidem & huiusmodi querelis motus, &
plurimis τῶν χαριέων exemplis adductus, & imprimis
tenuitate mea prohibitus, ab eiusmodi conatibus sem-
per abstinui hæctenus, & in morem cochleæ meam in-
tra testam mihi latendum putavi.

Hoc verò tempore placuit evulgare typis has orati-
unculas, quæ licet & ipsæ non sint absimiles fœtui ab-
ortiuo, qui simul atq; natus expirat: tamen aliquid dan-
dum fuit errori communi, qui propè ius esse cœpit: præ-
sertim cū, qui soli sapere volūt, ij vel maxime desipiāt.

Quin & morem esse gerendum censui nonnullis
bonarum artium & partium studiosis, qui has à me
pagellas, & quidem iure suo efflagitarunt. Inpri-
mis verò specimen aliquod edere conatus sum meæ er-

gã

ga T. M. obseruantiae & gratitudinis, illud quidem tenue & abiectum, qualia nostra sunt omnia: Sed tamen sine fuce natium, sine simulatione apertum, sine fallacia candidum, & ab animo tui amatissimo, & studiosissimo profectum.

Quis enim Te manum dextram Illustrissimi nostri Principis non veneretur? Quis Te bonis amabilem, improbis formidabilem, vtrisque admirabilem non ferat in oculis, non diligat, non vereatur? Sed a publicis occupationibus prolixam mihi praescriptionem non auocandus es. Duo abs Te peto, ut & charitaceum hoc munusculum lubens volensque suscipias, & tua me benevolentia complectaris, equitate tegas, auctoritate protegas. Vale & Viue cum tuis omnibus
Vir Magnifice. Dabantur Ienae Cal: Iunij
A. O. R. (17) 17 XCII.

T. Magnif.

obseruantis.

M. Wolfgangus Heider.

A 3

Oratio

O R A T I O I.

Etsi conspectus vester multò iucundissimus, auditores Magnifici, Illustres, Generosi, Reuerendi, Clarissimi, & humanissimi: etsi inquam conspectus uester multò incundissimus, & hic locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus, etiam eos invitare poterat, & allicere ad verba facienda, qui ab ingenio tardi & hebetes, ab arte nudi & inermes, ab usu prorsus imparati, & imperiti sunt: tamen ab hoc aditu laudis hæcenus me prohiberi facile passus sum, partim conscientiam meam tenuitatis, & infantiam, a qua nihil quod perfectum ingenio, nihil quod elaboratum industriam potest expectari: partim auribus uestris politissimis, limatissimo iudicio, censuram grauissimam, quæ non vereri impudentis esset, non venerari insolentis, quorum hoc non vulgaris inscitiam, illud singularis malitiam, vtrumque audaciam non ferendam.

Etenim si homines olim disertissimi ad vnus conspectum principis, ita consternati sunt, & perculsi, ut nec animum ad cogitandum instituere, nec linguam expedire, & ullum proloqui verbum possent: quid ei tandem animi esse putabitis? qui nec cum illorum ullo conferendus sit: & tamen in hac corona lectissimorum procerum, clarissimorum virorum, optimorum Iuuenum, qui Ecclesiam firmamenta sunt, Reipublicæ præsidia, scholæ huius ornamenta, omnium virtutum & artium præclarissimarum lumina, & columina, vires in dicendo periclitari iubeatur.

Veruntamen hoc tempore ad suscipiendum dicendi munus, quod deinceps obiturus sum, me & officij,

officij, quod gero, necessitas adegit, & incredibilis
uestra humanitas ac benevolentia, quam ego sum-
mam, & in alijs, & in meipso iam toties sum expertus,
cessantem excitauit, cunctantem impulit, hæsitantem
confirmauit. Inprimis autem mihi lætandum ius-
re video, quod caussa talis ad dicendum oblata est, in
quã oratio nemini de esse possit.

Hoc enim semi horæ spacio breuiter vtrumq̃
demonstrare constitui, & quod Heroum filij, non
quidem semper, quod Deus omen auertat, sed ple-
runq̃ tamen degeneres, seu ut prouerbium habet
noxæ sint: & cur ab auitâ patriâq̃ virtute & felicitas-
te sæpissime desciscant: cuius quidem rei caussas laten-
tes eruere, dispersas colligere, inuolutas explicare,
obscuras illustrare, quantum & temporis sinet breui-
tas, & mea feret imbecillitas conabor. Huius oratio-
nis mihi difficilius erit exitum, quàm principium re-
perire, ut non tam in dicendo copia, quam modus
quærendus sit. Ex omni historiâ veteri exempla er-
runt conquirenda, quæ colligi multò facilius, quàm
eligipossunt. Agendum de caussis diuinis, quarum
summa, nobis quidem, obscuritas. Differendum de
moralibus, quarum infinita varietas: quas mihi ipsi
pangam metas, ne libera nostra sit oratio, sed adductis
quasi habenis certo in gyro contineatur.

Quod igitur mihi dicendum, id necessitatis es-
se videtis: quod hoc de argumento, & voluntatis
meæ & publicæ utilitatis: quod breuiter, angustia
temporis: quod tenuiter, meæ imbecillitatis: quæ
omnia sic moderabuntur huic orationi, ut nec aliena,
nec infrugifera, nec superuacanea, nec inani orato-
riorum pigmentorum fuce delibuta attulisse videar.

A 4

A vobis

A vobis auditores submissè, & officiosè peto, ut quâ
attentione me audire cœpistis, eâdem mihi benignas,
& benevolas aures etiam deinceps præbeatis.

Et quidem ut inde mea proficiscatur oratio,
unde proposita mihi quæstio nascitur: Si animo om-
nia terrarum spacia obeamus, si omnes perlustre-
mus historias, si circumspiciamus omnium familiarum
incrementa pariter, & decrementa: manifestò depre-
hendemus, Heroas ferè liberos aut habuisse nullos,
aut reliquisse tales, ut magis ex usu rerum humana-
rum fuerit, illos absq; liberis decessisse. Heroas uerò
cum dicimus, non cum vulgo loquimur, nec cum ijs,
qui à plebeculæ iudicio pendent, quibus nunc quidem
temporis, adulatoriâ quadam, & ridiculâ leuitate he-
roes promiscuè illi sunt omnes, qui nobilioribus è fa-
milijs orti aliquot villas à colonis propè desertas, ra-
ras arces, & eas quæ semidirutas, oppida paucula & ra-
pinis exhausta, aut si præclarè se habeant omnia, unius al-
teriq; ue puinciæ sparsas hinc inde particulas obtinēt:
licet nec domi nec foris, nec pace, nec bello, nec con-
silio nec manu quidquam egerint, quod uel admira-
tione, uel scripture, uel secuturi temporis memoria,
prædicatione, imitatione dignum sit. Neq; tamen ita
strictè cum veteribus Heroas definimus tantùm vi-
ros planè *δεισος*, qui insigni prudentiâ res perplexas
& dubias sine errore, admirabili alacritate difficiles
& arduas sine defatigatione, incredibili felicitate an-
cipites, & periculosas sine offensione ullâ ita gerunt,
vt propius ad Deorum naturam ascendere, quàm ad
humanam infirmitatem se demittere videantur.

Verùm præter hos ipsos, etiam eos Heroum
appellatione in hoc censemus proverbio, qui eximia
virtute & sapientiâ præditi, & fortunæ secundis usi

statibus res sanè magnas suscipiunt; sed tamen non nisi quæ humana perferunt, & ad exitum ita quidem vt falli, errare, hallucinari, labi, debilitari, frangi sæpe queant, perducunt.

Horum simul & illorum liberi, nepotes, posterij plerunq; uel sunt tardi, tardi, stupidi, fatui, in quibus nullus labor, nulla cura, nulla industria: uel petulantes, improbi, scelerati, ore, lingua, manu, totâ vitâ inquinatissimi, qui ferè ad extremum ab omni & re & spe deserti, a fide & sede destituti vitam producunt miseram, omnium odijs expositam, ignominia obiectam, iniurijs obnoxiam. Atrocia sunt quæ dico, & omnem propè fidem excedunt: Sed nihil facilius est, quam exempla proferre, familias notare, argumenta adducere, quibus non magis reclamare possis, quàm ipsi veritati contradicere.

Non iam è sacris mentionem faciam Adami, qui Cainum parricidam, & patriæ desertorem religionis suscepit. Non Nohæ, qui Chamum ad suæ nuditatis ignominiam genuit. Non Isaaci, qui Esaum parentum carnificem, fratris iuratum hostem pertulit. Non Iacobi, qui quot habuit filios, tot plagarios, incestos, homicidas, si duos saltem exceperis, habuit. Non Moysis, qui liberos inertes, ignobiles, obscuros profeminasse scribitur. Non Samuelis, qui filiorum iniurijs & auaritiâ propè coactus animum ad creandum Israelitis regem appulit. Non Dauidis, cuius ædes Absolon fraterno sanguine resperlit, patrem bello petijt, regno exiit, nouercas constuprauit, & hoc unum vi nefariâ molitus, fraude sceleratâ machinatus est, vt parentem uel hosti miserandum, &

B

priua

priuaret imperio, & vitâ spoliaret. Hæc omnia si
lento datâ præterueham operâ, cum nemo vestrûm
sit, qui non plura sacris è scripturis, si foret opus uel
non præmeditatus afferre possit.

Aliunde paucula quædam in scenam produce
mus, & spectanda vobis, si videbitur exhibebimus.

Cyrus Cambysis filius, qui Persicam condi dit
monarchiam, & Ecclesiam populi Iudaici patrijs sedi
bus restituere cœpit, nulli propè regum, quos sol hic
vidit, uel pietate, uel clementiâ, uel animi magnitu
dine, uel rerum gestarum gloriâ, uel potentiâ secun
dus fuit. At verò Cambysen & Filium, & successo
rem habuit, cuius in Deum impietas, in cognatos im
manitas, erga subditos uniuersos crudelitas multis
nobilitate sceleribus, ad omnem usq; posteritatem
dimanauit. Tempa Deorum violare, statuas euer
tere, anathemata flammis tradere, pulchrum, & præ
clarum esse duxit.

Fratrem ob leuiculas suspiciones iugulare, so
rorem in matrimonium accipere, prægnanti calcib9
insultare ad mortem usq;, regium & egregium. Inter
pocula per temulentiam nobiles pueros sagittis cons
figere, aulæ procures ad supplicia abripere, industri
um, magnanimum, & æterna prædicatione dignum.
Hæc & similia legentibus, quid aliud in mentem ves
nire potest? quàm quod in Principio posuimus:

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πῆματα.

Sed hæc sanè peregrina sint, & transmarina: ves
niemus ad ea, quæ horum genijs, & ingenijs locorum
propiora sunt.

Atheniensium respubl: magnos olim tulit viros
vel loci naturâ, vel institutione sedula, uel exemplo
rum

rum copia, quos inter facile ducere familiam, & principem tenere locum, Periclem quidem eloquentia, & magnanimitate: Themistoclem prudentiâ & fortitudine: Aristidem iusticia, & moderatione, nemo est qui inficias ire possit. At quibus quæso liberis vitæ lampada tradiderunt? Pericles Paralû & Xanthippum stupidos & fatuos: Themistocles Cleophantum degenerem & improbum: Aristides Lysimachum inertem & obscurum reliquit. Hæc si quis audiat: nunquid aliud conijcere, aliud subijcere poterit, quam auro contrâ emendam sententiolam?

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πῆματα.

Ad Augusti familiam, quæ uiua nobis exemplæ, huius, vt ita loquar, ἀποσείασ exhibet, iam mea se conuertet oratio. Et quidem hac in domo, quæ nuntu propè terrarum orbem temperabat, admiranda virtute, & inuisitata felicitate præstiterunt Augustus, Drusus, & Germanicus. Augustus omnia ciuiliū bellorum incendia, quibus totum ferè conflagrarat imperium, feliciter restinxit, pacem restituit, Ianum tertio clausit, Romam cum accepisset lateritiam, mare moream reliquit, & vt paucis omnia dicam, suo comprobauit exemplo, bonum Principem, à bono parente nihil omninò differre.

At eundem fortuna in liberis domestica planè destituit, sobolem masculam omninò nullam procreauit: Iulias habuit, & filiam, & neptem proiectissimæ impudiciæ, & procacissimæ libidinis mulierculas, omnibusq; probris contaminatas, quas Imperator patientius suorum ferens mortem, quàm dedecora, relegauit, nec eas ut restitueret, unquam adduci potuit: licet populus Romanus sæpissimè deprecaret.

B 2

Quin

Quin & testamento cavit, ne si quid ijs accideret, sepulchro suo inferrentur. Agrippam uerò nepotem ob ingenium sordidum, ferox, intractabile, primum abdicauit, & Surrentum seposuit, mox in Insulam deportauit, militum custodia septum, ne elabi posset. Ex hac calamitate plurimum doloris Augustus cepit, a congressu hominum præ pudore abstinuit, filiam, neptem, & nepotem tres uomicas, aut tria carcerum nomata sua appellauit. Ad eorum mentionem cum gemitu & fremitu versum proferre solebat Homericum :

ἄιδ' ὄφελον ἄγαμόσ τ' ἔμεναι, ἄγονόσ τ'
ἀπολέσθαι.

Hic uerò quis sibi temperabit, quin indignatus exclamet ?

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πῆματα.

Drusus uerò priuignus Augusti, pacis & belli artibus insignis, primus omnium suis in sedibus Germanos feliciter perculit, & longè lateq; perdomuit : cuius uirtutem adeò nostri maiores perhorruerunt, ut non aliunde quàm a Druso, communis illa malè precandi formula, quam de lue pestilentiali iam accipimus, originem traxisse uideatur.

Huius itaq; uiri tam prudentis & circumspiciti, tam fortis & strenui, tam felicitis & fortunati filius erat Claudius Imperator hebes & stolidus, iners & ignauus, inuisus subditis, odiosus exteris, de specto uniuersis : in quo imperatoria dignitas, quæ debebat esse summa, planè concidit : auctoritas, quæ inuolabilis, euiluit : maiestas quæ sacrosancta exoleuit : a
deò

deo quidem, ut pro tribunali sedentem rabula, & ad-
uocati convicijs incessere, abeuntem laciniâ retrahe-
re, aut pedibus retinere, graphia & libellos in eius fa-
ciem proijcere non sint veriti. Hæc omnia cui non
exprimere vocem illam possint?

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πῆματα.

De Germanico quid dicam? Is propter exi-
mias corporis dotes, animiq; virtutes, omnes sibi ci-
ues tanta benenevolentia conciliarat, amore tanto
deuinxerat, ut quoties aliquo veniret, uel sicunde
discederet, præ turba occurrentium, & prosequenti-
um sæpe discrimen vitæ adierit. Nunquam è pro-
vincijs ad urbem se recipiebat, quin populi Romani
omnis sexus, ætas, ordo, ad vicissimum usq; lapidem
effunderetur. Lollianam ignominiam, quam his
in terris Augustus acceperat, acerrimè vindicavit:
cladem Varianam grauissimè ultus est: victricia per
magnam Germaniæ partem signa circumtulit, ad
Albim usq; protulit, & Romam salua retulit, q̄ ne-
mini ante ipsum contigerat. Pacauit orientem, Ar-
meniam vicit, Cappadociam in formam provinciæ
redegit, mortuus ætatis anno 34. cuius ad interitum
lugebat senatus, mœrebat equester ordo, tota ciuitas
senio conficiebatur. De hoc tanto viro nunquid in-
dubium vocare poterimus Horatianum illud? For-
tes creantur fortibus & bonis: Est in iuencis, est in
equis patrum virtus, nec imbellem feroces progene-
rant aquilæ columbam. Paterna quidem virtus &
gloria liberis Germanici ad imperium adipiscendum
suffragata fuit: Sed surpiter omnes falsi sunt, & inani
spe producti, eos qui parentum fore similes augura-
bantur.

B 3

Filium

Filium habuit Caligulam, nepotem ex filia Ner-
 onem : at ô Deus bone, quàm illos non homines, sed
 mera hominum monstra, prodigia, portenta : quàm
 non parentes subditorum, sed proditores, gladiato-
 res, lanistas, sicarios, prædones, latrones, lictores, car-
 nifices : quàm non ornamenta reipubl: sed lutum, cœ-
 num, labem, maculas, sordes: quàm non imperij præ-
 sidia, sed pestes, ruinam, vastitatem, scopulos, vora-
 gines, busta, sepulchra : qui scelera quotidie perpetra-
 runt tam multa, ut numero compræhendi : tam atroc-
 cia ut uerbis æquari: tam foeda, ut sine rubore dici:
 tam obscena, ut sine pudore audiri nequeant: quæ
 utinam non tantùm è libris eradi, & è memoria tolli,
 sed etiam ex rerum natura prorsus eijci, & exterminari
 possent. Hic igitur quid aliud succinere poter-
 rimus, & accinere, quàm hunc versiculum, & verita-
 te, & breuitate loco oraculi habendum :

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πῆματα.

Omitto iam Seueri Imperatoris familiam, qui
 cum ob benè gestam, & seruatam Rempubl: dignus
 immortalitate iudicaretur, filium habuit Antoninum,
 homicidam Papiniani, fratris parricidam, nouercæ
 maritum, incestu cum Oedipo, sæuitia cum Thyeste,
 interitu cum utroq; comparandum, Prætereo Con-
 stantinum Magnum & re & nomine, cuius filij leui-
 tate mutandæ religionis, luxu, temeritate, mutuis o-
 dijs, & bellis intestinis, non tantum attriuerunt im-
 perij vires, sed etiam pessunderunt semet ipsos, &
 totam familiam, de honoris summi fastigio, quod oc-
 cuparat virtute, deiecerunt. Relinquo Caroli Ma-
 gni domum, quæ ad Monarchiam occidentis maio-
 rum pietate & fortitudine euecta, ingratitude erga
 Deum,

Deum, impietate erga parentes, crudelitate erga cognatos, saevitia erga subditos, insolentiâ in rebus secundis, ignaviâ in aduersis, incogitantiâ in utraq; fortunâ planè concidit, & exemplo suo nostrum hoc Epiphonema uel maximè comprobauit:

ἄνδρῶν ἠρώων τέκνα πῆματα.

Huius verò Tragædiæ, cuius tam funesta est, & luctuosa Catastrophe, nunquid dari causæ possunt, & in medium adduci? quâ de re iure quærendam nobis, cum ea demum planè cognita, plenè explorata, probè perspecta habeamus, de quorum causis, origine, progressu dubitandi locus non amplius est relictus. Cur ex equi cadauere crabrones, ex asino scarabæi, ex homine uermes & serpentes nascantur, curiosè quærimus, & perquirimus. Cur frumentum in auenam abeat, in lolium degeneret, miramur, & scrutamur. Et quisquam erit negligentia tam supinæ, qui non dispiciendum existimet, quâ fiat, quod parentes optimi pessimos, sapientissimi stultissimos, felicissimi miserrimos liberos suscipiât, & relinquant. Hic verò campus ad dicendum amplissimus se mihi aperit, quem dum eâ quâ potero festinatione decurrere conor, a vobis auditores etiam, atq; etiam peto, vt quâ me beneuolentiâ subleuastis hæctenus, eandem & deinceps mihi ne denegetis.

Causas uerò duplices huius ἀνωμαλίας dare mihi posse videor, quarum aliæ diuinæ sunt, aliæ morales. Nec enim libet hoc tempore naturales vel scrupulosè quærerere, uel subtiliter enucleare, cum & pauculæ sint numero, & pondere leuiculæ. & a castissimis auribus studiosæ Iuuentutis nonnihil alienæ.

B 4

Diuis

Diuinas efficio duas: quarum prior vniuersalis est, Specialis posterior. Vniuersalem voco Dei prouidentiam, quæ per totum hoc vniuersum com-
meat, & ad ea pertinet omnia, quæ ambitu, & circumsitu mundi continentur. Specialem eiusdem Iusticiam appello, quæ ab hominibus rectè facta præmijs ornat, secus acta pœnis grauissimis vindicat. Has causas succincta breuitate iam persequemur, morales primâ quaq; occasione, si Deo videbitur, explicaturi.

Primum itaq; si nodum huius quæstionis verè Gordium, & vindice dignissimum vel soluere & extricare, vel incidere & secare velis: audies Mariam Virginem, quæ in hymno, quem cecinit *εὐχαριστικῶν*, non hoc è tripode oraculum, sed ex sanctissimo pectore responsum de Deo profert: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Audies Chilonem virum inter septem Græciæ sapientes primarium, qui sciscitanti, quid nam rerum ageret Iupiter? humilia inquit tollit, & excelsa deprimat. Audies Demosthenem Suadæ medullam, qui alicubi veluti numine quodam afflatus, in hæc verba prorumpit: τῶν ἀγαθῶν inquit, ἀνδρῶν, ὡς περ εἰμαρμένῃ ἐκ φαύλοσ ἀποβαίνειν τῶσ ἤδῃσ: Magnorum virorum liberos improbos euadere, perinde quasi fato quodam id accideret. Hanc itaq; varietatē immittit & circummittit ipse Deus cōsilio non minus sapienti q̄ iusto, nō min⁹ iusto q̄ sapienti: Deus inquam, qui cælorum perennes orbis, qui sempiternos stellarum ignes, qui perpetuas elementorum vices, qui ortus & occasus hominum, qui res deniq; superas & inferas, immortales & morti obnoxias, æterno imperio temperat, moderatur, gubernat,
nec

nec quidquam fortuito moveri, casu ferri, temerè turbari, & misceri patitur. Is igitur in hoc amplissimo mundi theatro perpetuum, firmum, stabile, fixum, immotum, & immutabile nihil voluit esse, præter se ipsum. Ideoq; semper ludos dare solet eiusmodi, ut quæ vix edita sunt, ea subito aboriantur, & intereant: quæ iam surrexere, corruant: quæ nuper consistere, iaceant: quæ paullulum florere, marcescant & tabescant.

Oculis hoc totum vniuersum perambula, intruere sublimia & terrena, animata & inanimata, grandia & parua, mente & manu facta: ab omni æuo corruunt, & corruent in omne æuum: tantùm abest, ut iure Deo propter hos familiarum obitus, uel succensere, uel obmurmurare, & obstrepere possimus. Ut enim ferro consumens agnata rubigo, ut lignis exedens caries, & teredo: ita rebus omnibus insitæ perenni causæ, nec aliter per hunc fati canalem suam ad metam, quàm ad mare flumina feruntur.

Totus hic mundus, quem pulcherrimum Dei opus esse Plato asserit, nonne situm contrahit? nonne fenescit? nonne paullatim interit breui alius & nouus futurus?

Cælum quod perpetuum, & æternum, quod omni ab alteratione liberum esse Philosophi magna contentione, & ambitione clamitant, suas certè mutationes, quidquid tandem alijs videatur, sentit.

Cometas quis oriri, & occidere negat? Omnes verò & ab aëre, & in aëre esse, nunquam persuadere nobis Lyceum poterit.

C

Sydus

Sydus illud prodigiosum, quod ante annos 200
sub Cassiopeæ stellis exarsit, & diu suspensas hominū
num mentes tenuit, cuius incrementa vidimus, & de-
crementa, nonne docuit aliquid in cælo nasci, mori-
que posse? Varro Latinorum doctissimus apud Augusti-
num stellam Veneris, quam Plautus vesperuginem.
Homerus ἑσπερον vocat, colorem, magnitudinem, fi-
guram, cursum mutasse refert. Non iam in eorum
discedemus sententiam, qui solem terris propiorem
esse nunc, quàm olim fuerit, & contrahi quasi, corrus-
gariq; cælum affirmant: præsertim cum errantes stel-
læ, iam ad terras se demittant propius, mox ab iisdem
longius, quod artificum industria deprehendi potuit,
recedant. Aegyptij certe solem aliquoties loca or-
tus, obitusq; sui mutasse, quod memoriæ prodidit
Herodotus, asseuerant: Fabulosè: quis negat? ut
& ficta illa, quam mundo tribuunt, annorum multitu-
do. Hoc tamen persuasum habuere sapientissimi om-
nium mortalium, non omnem ab illo quinto corpo-
re mutationem abesse.

Sub lunâ vero perpetui sunt rerum omnium
fluxus & refluxus, ortus & interitus, cum Empedo-
clis φίλια καὶ νεῖκος congregare & disgregare, cogere
& dispellere, coagmentare & dissipare res nascentes,
& pereuntes nunquam desinant. Aër quidem ut
paullatim ad hæc inferiora delabamur, nonne quoti-
die in ventos abit, in nubes vertitur, in pluuias cogi-
tur? Flumina quæ una voce perennia dicimus, non-
ne aliàs defecerunt, & exaruerunt? aliàs fontes, al-
ueos, cursum mutauerunt? Oceanus ipse tempesta-
tibus tollitur & deijcitur, habet aquarum accessus &
re-

recessus, per partes subinde crescit & minuitur, cum totus interire non possit. Terra, quam immobilem volunt esse, & vi sua stare, nonne concutitur, labat, corrui, montes erigit, hiatibus discedit? nonne ab igne & aqua corrumpitur?

Quot regiones, prouincias, regna maris diluuius obruit & oppressit? quot insulas e medijs emeruisse aquis vidit antiquitas? Quoties canus ille pater retrò pedem tulit, & alios sibi aperire sinus, alia littora lambere, & abrodere coepit? Testes anchoræ & conchæ sunt, quæ hodie in continentis montibus alicubi reperiuntur. Testes oppida, mœnia, turres, quæ alibi sub aquis ostenduntur.

Quin, & suæ regionibus, gentibus, imperijs, mutationes incumbunt, ne aliquid esse putemus, quod hac lege fatali non teneatur. Palæstina gentis Israeliticæ patria, quæ melle quondam, & lacte fluebat, ut cum sacris loquamur, & oppidorum frequentia, ædificiorum magnificentia, agrorum fertilitate, pascuorum ubertate, palmam omnibus in oriente prouincijs facile præripiebat, quid aliud est hodie, quam mera solitudo, mera vastitas? in quâ nihil, quod videre, aut invisere magnopere desideres, nisi magnarum urbium sepulta cadauera, arcium scabra, & exesa ruderata, rupes asperas, inuia saxa, omnia vepretis oblitata, spinis interclusa, tanto cum vitæ, salutisq; dispendio videre cupias.

AEgyptus olim, si Diodoro fidem non abrogamus, octodecim oppidorum millia dicitur habuisse,

quem numerum hodie ne tota quidem Asia, licet orientem, & septentrionem versus immensis porrigatur spacijs, supplere possit.

De regnorum euerfionibus, quid longam orationem comparem? Floruit quondam oriens Imperijs, viris, opibus, quæ omnia paulatim occidentem versus, quasi longâ peregrinatione, cuius eadem meta sit, quæ orbis terrarum, abire cœperunt. Et quidam Assyrij & Chaldæi cum seculis aliquot summæ rerum præfuisent, à Medis, & Persis obruti sunt. Persæ a Græcis quasi turbine quodam subuersi. Græcis imperium Romani eripuerunt, & regionem quondam florentissimam assiduis bellorum cladibus, ad tantam solitudinem redigi passi sunt, vt Plutarchus grauis auctor testis sit, eam vniuersam suo tempore, tria militum millia armare & educere non potuisse, quæ bello Persico unum Megarensium oppidum conficiebat.

Ipsa Roma rerum gentiumq; Domina, quam æternam falsò crediderunt, tandem prædæ Vandalis, Gothis, Longobardis, & cæteris Germaniæ populis cessit, incensa, diruta, obruta, vt hodie, licet ambitiosè quæras, nihil Romæ tamen in Roma mediâ reperire possis. Creuit opibus & potentiâ sub Francis & Saxonibus olim nostra Germania, quæ tamen non multò post, Romanorum Pontificum ambitione, auaritiâ, furore, rabie, ita quasi attonsa, accisa, exhausta est: ut omnibus à vicinis impunè vellicetur, & maiores in angustias quotidie redigatur.

Nostris è ruinis immanem & formidabilem
impe

imperij molem excitarunt Scythæ, quæ cum diu iam
inconcussa steterit, breui nutabit & concidet, labefacta
bitur, & conuelletur.

Crescit Hispanorum cum successu audacia, cum
audaciâ ambitio & auaritia. Italiae bonam partem
occuparunt, Belgium sui iuris fecerunt, imminent
Germaniæ, insidiantur Galliæ, multas Africæ pro-
uincias sub iugum seruitutis miserunt: oceanum & so-
la terrarum ultima, nostris maioribus ne fando quis-
dem cognita feliciter aperuerunt, subegerunt forti-
ter, quiete possident, animose tuentur. Et hæc ta-
men ipsa potentia, quanta, quanta sit, in fumos bre-
ui abibit, dissipabitur, euanesceat. Quid verbis opus?
Hic noster orbis, quem annos quinquies mille quin-
gentos habitamus sentio conficitur, nouus apud An-
tipodas succedere, noui homines succrescere nobis
videntur.

Cum igitur hic rerum omnium in se remeans
tium eat orbis, quam diu est orbis: cum omnia in
hunc fatalem nascendi, pereundiq; gyrum abeant:
quid est, quod mirere, singulas etiam familias in hanc
labem trahi? omnibus sua adolescentia est, & robur,
omnibus sua senectâ & mors, quam sentire tum ma-
ximè incipiunt, si virtutis cursum, quem maiores tenu-
ere, posterius deserant, scelerumq; tempestatibus im-
pliciti, & ad infelicitatis scopulos impulsii naufra-
gium faciant, & hausti fluctibus intereant. Vt autem
ijs e locis e quibus ventorum impetu & procellis ar-
bores magnæ stirpitis euulsæ, & deiectæ sunt, aliæ
puls

pullulascunt, & succrescunt arbusculæ, donec & ipsæ iustam ad proceritatem assurgentes, eosdem sustinere incursum, excipere impetus, experiri lapsus cogantur: Eundem ad modum, si familiæ nobiles occidant, ignobiliores oriuntur: Si potentes concidant, tenuiores extolluntur: si illustres latere incipiant, obscuræ in lucem protrahuntur. Vtrumq; tum demum fieri certum est, si boni improbos, & improbi bonos fortiantur liberos, quem ludum ludit in rebus humanis Deus, & ex hac argilla varias subinde formas fingit, & diffingit, neq; tamen iniuriæ, aut culpæ ullius a quoquam, in quo uel mica pietatis reliqua sit, insimulari potest.

Agit enim vigilantem hortulanum Deus, & alias quidem plantulas serit, depangit, inserit, transfert, alit, auget: alias decerpit, destringit, euellit, excindit. Agit peritum medicum, qui assiduò mel ab absinthio, & absynthium melle, temperat, ne uel illius dulcedo noxam, uel huius amaror nauseam sumentibus afferat. Agit Imperatorem, præter quàm solent homines, circumspèctum, neq; suis in castris semper eosdem Duces, tribunos, centuriones esse sinit: sed quos euexerat olim, eosdem mox deprimit: quos depresserat extollit: quæ quidem caussa non est postrema eius, quam nostro versiculo descriptam habemus varietatis:

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πύματα,

Primum itaq; fontem huius, qua de agimus, ἡλλειψέως, & illum quidem uberrimâ venâ scaturientem aperuimus. Alterum qui pauciores quidem, & parò

parciores, non minus tamen limpidas fundit aquas, si
paullum ad huc mihi temporis largiri non grauemini,
recludemus.

Et quidem caussam huius inæqualitatis e di-
uinis secundam ipse nobis Deus suggerit, & ingerit:
cum se Parentum iniquitates, in liberorum tertiam,
& quartam usq; generationem visitare, & vindicare
pronunciat.

Eandem Theocritus aureo designat versiculo.
ἔυσεβέων παῖσ' εὐσσί τὰ λώια, δυσσεβέων δ', ὄ. Piorum li-
beris optima quæq; contingunt, impiorum posteris
non eueniunt. Eandem Plutarchus in libello de se-
râ numinis vindictâ plurimorum exemplorum histo-
riâ comprobat, rationum momentis demonstrat,
venustissimis picturis illustrat, adeo quidem, ut non
sit dubium, quin Dei ira, ultio, vindicta, qua scelera
parentum in liberis prosequitur, Heroum filios ad pa-
ternæ felicitatis clauum sedentes, in sentinam omni-
um miseriarum præcipites deiciat.

Deus enim, qui regit & gubernat omnia, non
agit otium, neq; suis gaudet voluptatibus, quod Epi-
curei sceletatè fingebant: non epulatur apud Æthi-
opes, quod poetæ fabulantur: non oculis cum Tira-
sia captus est, quod homines improbi, qui & depudus-
ere, & dedolere somniant: sed contemplatur terras &
maria, interna & externa rimatur, corpus videt &
mentem, linguas & fibras, operta & aperta, nec ullam
sine præmijs virtutem abire, aut ulla sine pœnis flagi-
tia euadere patitur, quamuis sub tunica commissa
sint, sub sinu perpetrata.

Non tantum enim nostri Magistratus,
C 4 qui

qui quasi pedarij sunt, & minorum gentium Dij, sed etiam summus ille rerum omnium moderator Deus, gemino vinculo societatem inter homines alligat, astringit, continet. Illa verò præmia sunt & pœnæ, quæ bonis, & improbis, honores & ignominia, quæ morigeris & refractarijs, Incolumitas & exitium, quæ quietis & turbulentis debentur.

Quamvis itaq; bonus & beneficus, longanimis & mansuetus, misericors & placidus sit Deus: simul tamen læsus dolet, iratus effertur, lacessitus pugnat, & vindicem habens oculum magnis sceleribus magnas irrogat pœnas, & funestam ἐπιβολὴν submittit: a deoq; cognatum & innatum est omni sceleri sceleris supplicium, nec quisquam in pectore crimen potest concipere, qui non in tergo pœnas, ut malefici crucem sufferre cogatur. Neq; verò unum genus est suppliciorum, quibus Deus nocentes corripit, aberrantes reducit, ferocientes reprimit, flexibiles corrigi, insanabiles perdit.

Alios quidem animi flagellis cædit, stimulis pungit, doloribus cruciat, angoribus lancinat. Alios morbis obijcit, peste absumit, febre extinguit, tabe conficit. Alios numellis compingit, equuleis inijcit, fidiculis distendit, uncis distrahit, in crucem agit, culleo insuit, flammis tradit. Alijs deniq; sempiternam ignominia notam inurit, extorres agit in exilium, inopes fame & inopia tabescere sinit, totas familias aut distrahit, & dissipat, aut delet, & radicatus extirpat.

Et

Et licet interdum aliquid inter delicta, pœnasq̃
moræ interveniat; ea tamen si ad Deum respicias,
vix illi temporis spaciolo videtur comparanda, quod
inter Epitasin, & Catastrophen Tragædiarum in-
tercedit.

Inter Epitasin, quæ tyrannos sublimes, feros
ces, minaces, ignem spirantes, cædem anhelantes, dijs
& hominibus insultantes producit. Inter catastro-
phen, quæ eosdem saucios, debiles, cruentos, anis-
mamq̃ multis debitam supplicijs exhalantes ob oculos
ponit. Nec enim dormit oculus Dei, sed connis-
uet, non aufert pœnas, sed differt: non obliuioni
tradit hoc debitum, sed in diem reponit, & nihilomi-
nus occulto fune improbos ad finem ducit. Et hæc
quidem mora non tam intervallum est pœnæ, quàm
augmentum, & Deus lento quidem gradu, pedibusq̃
lanceis ad πανολεθρίαν impiorum procedit: Sed inte-
rim gravitate supplicij tarditatem abundè pensat.

Iam vero propè nulla hominum est natio, cui
& plures, & commodiores, & violentiores ad pec-
candum occasiones se, quàm magnis viris offerant.
In secundis quidem plerumq̃ modum tenere non pos-
sunt, suæ industriæ accepta ferunt omnia, nullum Deo
felicitatis hostimentum reddunt, plurimà dant gratiæ,
quâ decepti improbos euehunt, odijs frena laxant,
quibus fascinati bonos euertunt, inferiores superci-
liosè despiciunt, clamores miseræ plebeculæ non ex-
audiunt, munerum escâ uelut hamo capiuntur, fumos
sæpe vendunt, publicas exactiones cumulant, paupes
res expilant, opes alienas varijs aucupijs captant, vas-
tiss ad se raptant artibus: quæ tamen omnia non vi-

D

tia

etia, sed virtutes summas, non maleficia, sed optimè facta videri, & omnium gestu probari, voce laudari, literis deprædicari cupiunt: & si quis conscientia religionis tactus uel leuiter hiscat, ei bellum internecinum indicunt, ei aqua & igni interdicunt, illum ad laqueum adigunt. Quin & sæpenumero grauissimis flagitijs, ne sentientes quidem, aut animaduertentes se implicent, & involuunt, pueris lasciuientibus similes, qui glebis & lapidibus petunt ranunculos, illi quidem ludentes & ridentes: sed interim miserum animalculum seriò obteritur, seriò moritur.

Cum autem Deus pœnas non minus à rege & principe, quàm à bubulco & cerdone: non minus à diuite, quàm à paupere expetat: mirum non est, tantos etiam viros, maximis calamitatibus exerceri, affligi, cooperiri.

Pœnas autem delictorum suorum uel ipsi uiuentes luunt, uel mortui posthumas ad infelicem posteritatem transmittunt: qui sæpe fons est, quod caput, quæ radix malorum omnium, quibus cum Heroum liberi conflictantur, de quibus iam ad nauseam usq; versiculum inculcauimus:

ἀνδρῶν ἠρώων τέκνα πῆματα.

Exempla cum è sacris literis petere, tum aliunde promere quam plurima, si foret opus, poteramus. Impius in parentem erat Chamus: sed in caput filij Nohe imprecatio recidit. E Sodomitis non tantum adultiores malam pestem oppetunt: sed etiam pueri, sed puellæ, sed uagientes in cunis infans
tuli

culi sulphureis ambusti flammis inter atrocissimos
cruciatus vitam miserrimè finiunt. Achan ea, quæ
non licebat contrectare, furto subtraxerat: cum om-
ni familia lapidibus obruitur.

Gyges pastor regius in Lydiâ, cuiusdam an-
nuli ministerio Candaulem regem interficit, reginam
uxorem ducit, regnum Lydiæ occupat, & adminis-
trat impunè quidem pater, quietè filius, pacatè ne-
pos, tranquillè abnepos: Sed Cræsus atnepos, qui &
pietate, & Virtute maiorum omnium luminibus ob-
struebat, bello à Persis uincitur, regno exuitur, rogo
imponitur, & ægrè partim Solonis inclamatione, par-
tim cadente subito pluviâ seruatus indignam apud
Persas, ad exitum usq; vitæ seruitutem seruire co-
gitur.

Glaucus Epicydæ filius, cum pecuniam à Mi-
lesio quodam sibi creditam non quidem interverte-
ret, sed tantùm intercipere Iureiurando vellet: quam-
uis monitus resipuerit, & hæredibus depositum red-
diderit: tamen cum omni posteritate propter huius
conatum sceleris extritus est, & deletus.

Dies me deficiet antè, quàm exempla huius rei
nobiliora saltem, & insigniora percensuero. Hic
verò multi sunt tenebriones, qui in hunc diuinæ Iu-
sticiæ scopulum grauitèr incurrunt, & impingunt.
Multi miriones, qui mirantur, & indignantur, quem-
quam ad pœnas ob eam rapi culpam, cuius affinis
nunquam fuerit.

D 2

Non

Non situm in nobis, parentes quid agant, pñ
sint an impij, boni an mali, iusti an iniurij, præmijs an
pœnis afficiendi. Deum, ut ait Bion apud Plutarchu
um, si pœnas malorum liberis irroget, similem videri
medico, qui paternum ob morbum filijs medicamen
ta propinet. Multò æquiores esse legem AEgyptio
rum, quæ gravidam mortis ream non antea ple
cti sinebat, quàm peperisset, ne quid pænæ rediret ad
sobolem, quæ nihil culpæ admisisset.

Has ad crepidines etiã in Ecclesiã non ne
mo adhæsit. Hieronymus Dei legem, de pœnis in
posterorum tertiam, & quartam generationem trans
mittendis, prorsus ἀλλήγορκῶσ accipit, quàm verè i
ple viderit. Quatuor ait esse gradus delictorum.
Primò quidem προπάθειαν seu inclinationem ad pec
candum. Secundò deliberationem & decretum.
Tertiò opus ipsum. Quartò gloriationem. Prio
res duos negat puniri, posteriores dare pœnas af
firmat. Sed à sacris hæc aliena minimè dubitamus.

Alij qui propius ad scopum collineant, de pœ
nis huius saltem vitæ Dei comminationes interpre
tantur: alij de non renatis: alij de liberis, qui paren
tum similes cæptam ab ijs improbitatis telam pertes
xant, quæ sententia diuinæ iusticiæ maximè videtur
esse consentanea.

Sed isti superiorum partim vanitati, & curios
itati, partim incogitantia & petulantia multa sunt,
quæ obijci et opponi possunt. Cum enim ad hoc
pro

providentiæ diuinæ iubar serenissimum, planè lippiamus, & cæcutiamus: non est nostræ pietatis, ea Deo invidere, quæ videre non possumus: ea discernere, quæ cernere non valemus: ea ad libram appendere, quæ attendere nequimus.

Iudicia Dei latentia, obscura, arcana, ignota sunt, non violenta, iniqua, iniusta, tyrannica. Ea mirari, non rimari, venerari non scrutari, vereri non insectari nos oportet: Præsertim cum Dei nutus pijs omnibus pro lege sit, voluntas pro ratione.

Quamvis & ipsa ratio non nihil Dei Iusticiam ab iniuria, imperium à tyrannide vindicet. Iniquo ferimus animo, si posteris impiorum ad nutum fluant omnia: & ferre tamen non possumus, si scelerum patrum poenas luant. Quanta hæc quæso leuitas est, quanta futilitas?

Adde quod immeritus nemo poenis afficitur: Omnes peccauimus, & quotidie peccamus, in labe nati sumus, & in labe viuimus: & iam diu cœli armentaria sine telo fuerint, si in omnes, qui merentur, fulmina missa sint. Poenas itaq; persoluunt multi propter suam ipsorum culpam, quæ tamen & in parentes, qui è liberorum calamitatibus acerbissimos hauriunt dolores, redundant.

Filius Davidis Ammon à fratre iugulatur, dignus, qui non uno letho pereat, quod sorori vim

attulisset: & hæc tamen ipsa pœna tangit patrem ad
dulterum, homicidam angit,

Quid beneficia maioribus collata nonne tran-
seunt ad posteros? His uti, fruiq; volumus, & quæ
sunt ab iisdem incommoda, sufferre detrectamus. O
nos aut fatuos, hæc si non videmus: aut impios, si
quæ sunt æquissima, convicijs impetimus,

Homínibus in perduellionis crimine licere
volumus innoxios liberos ad æternam ignominiam,
ad egestatem æternam condemnare, ut mors solati-
um sit miseris, vita supplicium: & hoc ipsum Deo li-
cere non volumus,

In uno eodemq; homine iure punimus in ætas
te senectâ crimen, quod in Iuventâ commissum est.
Eodem modo vetera peccata Deus in familijs, quæ
externæ comunionis ratione, non minus unum quid-
dam ipsi sunt, & coniunctum, quàm animantis cor-
pus, licet diuersis è partibus coagmentatum sit.

Oculus si cæcutiat, caput si grauedinem sen-
tiat, in brachio vena secatur: & Deus non audebit
alteram familiæ partem, quàm quæ deliquerit, ad se-
ctiorem, ad uisionem deposcere,

Sed hæc abstrusa sunt, & sine læsione animo-
rum aspici non magis possunt, quàm si oculos in so-
lem acrius defigas,

Satis erit nobis factum, si hoc unum eviceris-
mus, quod Iusté Deus pœnas à posteris sumere queat
pro

propter delicta parentum, quam non minimam esse
causam diximus, quod ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πύματα
sint, & instar plantulæ, quæ non altas in agro sabu-
loso egit radices, subito exarescant. Interim tamen
& hoc silentio non prætereundum.

Quemadmodum eorum posteri, qui uel tabe,
uel aquâ intercute perierant, olim, ut Plutarchus re-
fert, ab horum contagione morborum, esse liberi
credebantur, si pedibus in aquam immisis sederent,
donec parentum cadauera comburerentur: ita cer-
tum est maiorum piacula, eos non attingere Libe-
ros, qui in viam maturè redierint, & pœnitentiam
agentes ab impietate patria & auita destiterint.

Ob parentum enim peccata leuis irâ Dei, bre-
vis vindicta: ob pietatem diuturna gratia, misericor-
dia sempiterna.

Sed plura me dicere prohibet & vestra aucto-
ritas, & temporis breuitas, & eorum, quæ deinceps
agenda nobis sunt, necessitas.

Quapropter finem lubens facio, & causas,
quas sum pollicitus, morales aliud in tempus con-
ijcio.

Quod reliquum est Deum Opt. Max. Sup-
plex oro, ut & nos omnes, qui iam hunc spiritum
ducimus

ducimus, & illos simul, quos in huius vitæ λαμπα
δοφορία, quondum successores habituri sumus, non
πήματα & περιψήματα, non ἀλάστορα & καθάρματα esse
sinat: Sed misericordiæ, & honoris vasa efficiat,
quæ thesauros sapientiæ & bonitatis diuinæ disper
tiant in Ecclesijs, distribuant in Rebuspubl. & in om
niam vitam copiosè spargant: ut doctrinæ coele
stis veritas contra homines deliros & fanaticos, pu
blica tranquillitas contra turbulentos & pacis inimic
cos, pietas & morum honestas contra improbos &
sceleratos propugnetur fortiter, seruetur feliciter,
& omnem ad posteritatem fideliter propage
tur: quod faxit æternus æterni patris fili
lius, quem ut regem nostrum vere
mur, ut sacerdotem veneramur,
Ut fratrem amamus, ut ser
vatorem abs seculo ad
seculum præ
dicamus,



ORATIO.

ORATIO II.

COgitanti mihi, auditores dignitate Magnifici, genere Illustrissimi, inclyti, generosi, pietate venerandi, prudentia conspicui, sapientia præstantes, omni studiorum genere florentissimi: Cogitanti inquam mihi, de nobilissimarum interitu familiarum, quæ tum ferè ad occasum vergunt, si heroum filij desciscant à virtute maiorum, & esse *πίματα* incipiant, commodè venit in mentem, ut opinor, aureola Plutarchi sententiola, qui virtutis absolutioris hoc munus inquit esse proprium, è quibuslibet rebus, quæ uel sub aspectum cadunt, uel aures feriunt, uel menti se offerunt, aliquid capere utilitatis, quod saluari quadam commonefactione animum imbuat, voluntatem informet, actiones vitæ moderetur, & gubernet.

Etenim in hac quæstione grauissimâ, de familiaribus partim surgentibus, partim ad interitum ruentibus, nihil omninò concinnius, quàm hæc virtutis sagacitas in animaduertendo, dexteritas in iudicando, in applicando felicitas adhiberi posse videtur.

Has enim perpetuas in hoc circulo rerum humanarum vices si sub imagine luculentâ non eminus aspicere, sed cominus intueri cupias: haud opus erit procul ut abeas: ad loca quæ fluminibus irrigantur, pedes efferto: colles ventosos inscendito: neque varietatis huius picturas ad uiuum expressas, & verè spirantes requirere poteris.

E

Vt

Vt enim flumina minutis ē fontibus scaturis
unt, & primum angustis fluunt riuulis, tūm verò suis
usa progressionibus subinde plures recipiunt aquas,
donec latis exundent amnibus, & multis in mare os
stis se exonerent: ita plerunq; homines ignobiles,
obscuri, noui, pauperes, qui nec maiorum fumosas
imagines ostentare, nec dictaturas aut consulatus nu-
merare, neq; nomina saltem percensere possunt, la-
bore indefesso ad sapientiam adspirant, viam sibi mu-
niunt ad virtutem, ad diuitias, auctoritatem, hono-
rem, gloriam profluunt, adeò quidem, ut de ipsis
verissimè dicere possis illud, quod de Crocodilo fe-
runt, quem maximum ē minimo nasci: hoc est gran-
de & portentosum animal, ex ouo, quod non maius
sit anserino, excludi perhibent.

Contra ventorum flatus ad sui caput exortus, qua-
cunq; tandem ex AEoli speluncā prorumpant, validis-
simi sunt, & ut cum Poëtā loquar, maria ac terras Cae-
lumq; profundum quippe ferunt rapidi secum, verrūt
q; per auras. Postq; verò longius per mare & terras,
per montes & valles, quod ait Euripides, equitarunt:
paullatim vel impetu naturali desinente, vel aliorum
obiectu corporum, debilitantur, languescunt, & o-
mninò deficiunt. Ita familiae nobiliores Primū
admirando successu & progressu feruntur, maxima
disiiciunt, minima obterunt, omnia prosternunt, do-
nec hic impetus semetipsum paullatim cohibeat, fran-
gat, & tandem prorsus euanescat:

Huius

Huius ἱαλειψείας cuius exempla plurima nobis & vetus historia suppeditat, & aetas nostra subministrat, quid nam aliud dicemus esse causæ? quàm illud ipsum, quo de non ita pridem hoc e loco uerba facere cœpimus:

ἀνδρῶν ἠρώων τέκνα πύματα.

Heroum filij noxæ sunt.

Digna vero admiratione, digna literarum monumentis, digna omnium Seculorum memoria metamorphosis, cuius indagare causas, & perquirere si quis possit: næ illum & tempus & operam haud paullo melius collocare, putabimus, quàm si uel caput Nili quærat, uel reciprocos Euripi motus scrutetur, uel è quo cæli angulo, cometæ statis prodeant temporibus excutiat.

Has itaq; causas partim diuinas esse monuimus, partim morales fore prædiximus. Diuinas non eâ, qua debuimus ubertate, sed qua breuitate potuimus, conati sumus euoluere, euolutas oculis subijcere, subiectas rationum momentis, quæ hac in causâ plurimum habent ponderis, demonstrare.

Morales nobis deinceps sumemus explicandas, quas quidem non de cœlo, cuius splendorem oculi nostri vix possunt ferre, deuocabimus: sed ex mediâ hominum vitâ positas ante pedes colligemus. Ostendendum enim nobis, & educationis negligentiam, & sodalium malitiâ, & insolentiâ in rebus secundis

florentissimas euertere familias, & ex hominibus noxas, furias, bestias veluti Circaeis quibusdam poculis efficere. Per has dum ire causas eo ordine, quo dixi, neque diutius cunctando, neque celerius festinando conor, a uobis auditores, eam quam par est obseruantia, peto, ut temporis exigui attentionem praestetis, attentionem silentio significetis.

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Inter causas itaque morales huius calamitatis, quae certe maxima, locum sibi primum iure vendicat educationis ratio praepostera, de qua libet usurpare comicum illud: Ut quisque filium suum uult esse, ita est.

Libet alterum addere versiculum: Blanda patrum segnes facit indulgentia natos. Libet adijcere tertium: Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.

Primum enim Heroes seu magni viri, quorum naturae generosiores, admodum φιλόσοφοι sunt, & φιλότεκνοι, suosque tenerrimo amore complectuntur. Ideoque paruulis saepe dant, largiuntur, permittunt omnia. Plorant liberi, uix a lachrymis sibi parentes temperant. Irascuntur: eos anxie placant. Aliquid possunt: ecce parata omnia, quidlibet facere & pati malunt, quam tenellos offendere, lachrymas flentium adspicere, ploratus eiulantium audire. Nondum ponere didicerunt pedes, delitijs soluantur, repunt in purpura, nitent auro, gemmis rigent, & longe pluribus,

ribus, quam statuae Deorum ἀναθήμασι circumves-
tiuntur.

Vix balbutire cæperunt: usitata spernunt,
dominata fastidiunt, non asla, non elixa, non frixa,
non tosta boni consulunt, peregrina requirunt fercu-
la, trans mare petita flagitant, innumera tragemata
exigunt, ex argento cœnare, è gemma bibere fatas-
gunt, exquisitissimis epulis differciuntur, exoticis
obruuntur vinis, & antè vomitum reddere, quàm
pias recitare precatiunculas assuescunt.

Quid hac de amentia porrò dicam? Verbu-
lum aliquod paullo commodius puero fortè excidit:
Indolem, ingenium, solertiam ad cælum tollunt.
Deformis est: viro dignam faciem collaudant. Tar-
dus & stupidus: circumspectum vocant. Malitiosus &
improbus: alacrem, & vigilantem nominant. Obstina-
tus & pertinax: tenacem propositi, & constantem ap-
pellant. Denicq; ex Theriste Vlysem, ex Dolone Di-
omedem, ex Paride Achillem quempiam efficiunt:
adeò verum dixit Poeta, qui turpissima quæq; amori
pulchra videri dixit.

Hos itaq; parentes, cui nam rei dicemus esse
similes, cui nam? Certè simijs, quæ catulos suos, quasi
pulcherrimi sint omnium, in Iouis etiam conspectum
producere, & glabras ac depiles ostentare nates haud
verentur, eosq; sæpe nimjs complexibus enecant,
optimo iure conferri possunt.

Detur aliquid sanè amori parentum arden-
tissimo: blanditijs suorum capiantur: ætatis imbes-

cillitate moveantur: Sed hanc φιλοσοφίαν quis pro-
bet? quæ cum rationis funiculo non trahatur, ince-
ptu quidem videtur esse leuicula, sed exitu planè lu-
ctuosa est & mortifera.

Si enim pueris à teneris, quod aiunt, unguiculis
facere liceat, quidquid libeat: Si parentes, nutri-
ces, domestici ne hircere quidem, nisi ad ipsorum
nutum audeant: certè flexus & motus animorum in-
gyrum rationis ducere, cupiditates reprimere, libidi-
nes coercere, perturbationes edomare, ne adulti
quidem & viri poterunt. Inconsultò autem suscipere,
quidquid suscipias: cupidè & libidinosè agere,
quidquid agas: iratè & turbulenter efficere, quid-
quid efficias, nihil aliud est, quàm si ventis & flucti-
bus sine gubernatore, navis committatur: quam si
currus in salebrosas, & voraginosas vias à bobus fe-
rocientibus, & ab equis calcitrosis agatur.

Quod si tenelli delitijs, lauticijs, voluptatum
illecebris in cunis inescantur: quid aliud sperandum
putas aut metuendum? quàm Horatianum illud:
Quò semel est imbuta recens servabit odorem testa-
diu.

Certè tegmen Scythicum more veterum Ger-
manorum spinà, confertum, si res ferat, boni consue-
lere, tritam & obsoletam penulam non aspernari, ves-
tem cannabeam non respuere, in dolio Diogenis
bono animo esse, humi cubare, calores, frigora, tem-
pestates, laborum molestias sumta virili toga sustine-
re nō poterit is, qui prætextatus in cocco & conchylio
se

se inferre, discumbere inter rosas & unguenta, in ostro membra fessa ponere, qui in ocio, in umbra desiderem agere uitam, & nihil minus, quam lucem, quam solem, quam puluerem & sudorem ferre consequitur.

Panem vero cibarium edere, vappam bibere, caseolum Xenocratis in delitijs habere, qui nam poterit is, ætate iam ingrauescente & qui puer cœnis dubijs languidus affedit, Syracusanis assuevit epulis, mensis Sibariticis accubuit.

Denique nemo in seipsum descendere, suos agnoscere nauos, culpam fateri, precari veniam, pœnitentia duci barbatus poterit, qui imberbis sua & dicta & facta, & seria & iocosa, pro oraculis, & virtutibus eximijs haberi, & omnium plausu domesticorum excipi meminert. Serum est enim, canes vetulos loris affuescere, & Psittacus non nisi duobus annis prioribus $\chi\alpha\tau\epsilon$ suum expedire discit, qui si præteriere, ferulam planè negligit, hoc est indocilis, & obliuiosus euadit, ut nec os eius conformari, nec conuibrari lingua possit.

Quemadmodum igitur ædes, quarum ruinosafundamenta, leui impulsu subuertuntur, & corruunt: quemadmodum arbusculæ distorquentur, si cum teneræ sunt, non reflectas & dirigas: quemadmodum agri nisi colantur, sterileseunt: nisi puro semine conferantur, auenâ, lolio, lappis, tribulis velut asperâ quâdam syluâ horrere incipiunt: ita si educatio uel penitus negligatur vel non administratur eâ, quâ par est, fide & diligentia:

Præclaræ a puerorum indoles facile extinguitur, acumi ni mentis stupor, verecundiæ impudentia, probitatis malitia succedit, & ut paucis omnia dicam, speratae virtuti non expectata vitia, flagitia, scelera succrescunt.

Quod igitur Heroum liberi educatione præposterâ deprauantur, & in noxas abeunt: prima causa parentum est φιλοσοφία, non illa quidem vitiosa, si prudens, & oculata sit: digna odio, reprehensione digna, si ad liberorum fraudes & libidines uel conuiceat, uel omnino cæcutiat.

Sæpe tamen non tam voluntate, quam necessitate quadam parentes educationi liberorum minus uacare possunt. Publicis enim occupationibus ita distinentur, ut ne quidem ad scalpendas aures quidquam ocij suppetat.

In Ecclesia sermonem veritatis rectè secare, puram Euangelij doctrinam è situ & tenebris educere, contradicentes refellere, mercenarios eijcere, lupos abigere: In Republ: leges condere, ius dicere, lites dirimere, obire legationes, ad sagum ire, arma ferre, sub pellibus degere, pro aris & focis excubare, vim vi repellere, amissa recuperare, pœnas à nocentibus repetere: hæc omnia inquam munia si quis vigilanter obire velit, is certè filiorum educationi multum impendere temporis haud poterit.

Tum igitur bonam ætatis partem liberi in gynæceis, inter ancillulas, inter aniculas, apud matres educantur muliebriter, molliter, lautè, delicatè, ut sexu quidem viri sint, sed animo foeminis languidiores.

Nec enim multæ sunt matres Corneliæ similes,

les, quæ vitâ sanctissimâ Grachos suos ad virtutem,
sermone purissimo ad eloquentiam feliciter institue-
re poterat. Huius inquam similes non multæ sunt:
& licet plurimæ pietatis, & pudoris laude sint conspic-
uæ: tamen ut uno uerbo dicamus omnia, mulieres
sunt, in quibus tenerum illud & molle, quod à naturâ
insitū habent, rarò corrigi, & corroborari, vehemens,
& iracundum difficulter regi potest, & reprimi. Sed
hic mihi posse occurri video.

Quid enim? Magni viri nonne magistros
honestâ mercede conducere? nonne magnis impens-
dijs præceptores alere possunt? qui parentum gerant
vicem, & suos ad pietatem, ad virtutem, ad eruditio-
nem alumnos doctrinâ instituunt, exemplis ducant,
præmijs invitent, pœnis alliciant. Equidem perfric-
tæ sim frontis, hoc si in uniuersum negare velim,
Scio quam Phœnix Achilli, Anaxagoras Pericli,
Plato Phocioni operam navarit, quorum similes hos
die quoq; reperiri plurimos, ad quos mea non per-
tinebit oratio, nullus dubito. Sed tamen quales ple-
runq; soleant esse, qui magnorum virorum liberos
suæ fidei commissos erudiunt, non quidem ego dis-
cam, ne verba de rebus, ut videbor, ignotis facturus,
ad exemplum Phormionis ab Hannibale quodam ris-
deat: sed pro me uocalis ille, & clamorosus Carneas
des loquetur. Is igitur diuitum, & Principum filios
nihil ait probè discere, præter unam equitandi artem:
quod eis cæteri omnes adulentur: solus autem es-
quus sessorem, princeps sit an priuatus, nihil more-
tur, sed tergo, excutiat quisquis equitare nesciat.

Vtinam falleris & falleres ô Philosophæ.

F.

Sed

Sed hanc præceptorum flagitiosam, ut dicam mollissimè, indulgentiam Respubl: Prouinciæ, Regna, imperia magno suo cum malo quotidie experiuntur.

Ita siquidem comparatum est, ut magistrorum plurimi Heroinarum gratiam aucupentur, discipulorum captent benevolentiam, præmia sperent, mercedem paciscantur olim si adoleuerint soluendam. His ut potiantur omnibus, nihil non ferunt, nihil non permittunt alumnis: Ociari, stertere, potare, alea ludere, amori operam dare, nihili pietatem, nihili studia literarum facere, omni virtuti longum vale dicere: Tot inquam, & tanta flagitia non modò tolerant hi nostri, si Dñs placet, magistrilli: Sed etiam tegunt, occultant, palliant, excusant: quin & miseros parentes vanis ludunt pollicitationibus, & inani spe producunt, donec hæ fraudes patefcant, & Iari isti hiantes pro thesauris carbones, & digna fide sua præmia tandem reperiant.

Alij, qui non nihil meliores, si paullulùm discipuli profecerunt: Dij boni, quos clamores excitant, quas laudes plenis buccis crepant. Nouit alumnus inter oues, & oua, quod generis discrimen sit: absolutus est Grammaticus Varrone doctior. Prædicabilia quot sint numero, didicit: optimus est Dialecticus, Chrysippo argutior, Genera causarum in Rhetoricis hæsitanter recitare potest: orator est disertissimus Cicerone eloquentior. Quatuor esse corpora simplicia sub sphæra lunæ, fortasse aliud agens inaudiuit: acutissimus est physicus Aristotele multò peritior.

Necq; satis hoc est: ad maiora buccinatores
isti

isti progrediuntur. Tenet Herois filius in arce bonorum omnium virtutem esse collocandam: Ethicorum Princeps esse perhibetur. Scit tres imperiorum esse formas, Monarchiam, Aristocratiam, Timocratiam: politicorum omnium prudentissimus, ad rem publ. admouendus, imperio summo dignus proclamatur. Ius omne rebus, actionibus, & personis contineri, agrè meminit: Papinianis, & Vlpianis præfertur.

Denique si decalogi præcepta decem quamlibet confusè reddere potest, & enumerare: Theologorum summus est, penes quem sit Ecclesiæ controversias dirimere, dicenda & tacenda docentibus præscribere, exilio, gladio, aqua, igne contradicentes multare, plectere, mergere, cremare.

Ita præceptorum adulatoriæ, & mendaces blanditiæ, non tantùm in fraudem parentes credulos pelliciunt, sed etiam è discipulis tardis planè truncos, è stupidis planè fatuos efficiunt, ut ad ea nauseent studia, quæ nondum primoribus labris degustarunt.

Denique non infrequens est, & tertium illud Præceptorum genus, qui quæ non probanda, vident quidem, & dolent, auent corrigere, sed emendare non audent. Sciunt sibi cum uris feroculis esse negotium, qui irritati dentibus, & unguibus suos in magistros irruunt. Sciunt quæ *Ἰσχυρὰ* Lino fuerint persoluta, à quo cum Hercules imperitè canens increparetur, ille plectro capiti præceptoris impacto miserum interemit.

Sciunt quid euenerit Senecæ, qui ob plagas, quas Neroni puero inflixerat, postquam ille luporum catulus adoleuisset, in labro aquæ calidæ venas secare iussus interijt. Hæc omnia silentium magistris imperant, nisi anguinam ferre mercedem uelint, & malam pestem oppetere: quamvis satius sit, uel in Phalaridis taurum descendere, & in Nicocreonis mortario contundi, quam perfidè hanc, si natus fueris, Spartam administrare. Cùm itaq; tot apud magnos viros educationis impedimenta sint, quis porro ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα esse πῆματα mirari poterit?

Veruntamen multi sunt Heroum, qui in educandis liberis, non minus diligentia, quam Persæ adhibent, suosq; uel ipsi ad pietatem, ad veritatem, ad temperantiam, ad fortitudinem assuefaciunt: uel si per occupationes publicas operam huic rei dare non licet: his tamen præceptores adiungunt optimorum optimos, doctissimorum doctissimos, quorum cognita pietas, explorata virtus, perspecta sapientia. Et his quidem suos concredunt liberos, cautè, circumspectè, prudenter: quis negare ausit? Quin & magistrorum plurimi, sub miserrimâ conditione, seu potius sub gladio ab seta equina suspenso, quod sui muneris est, summa fide, summo labore, contentione summa exequuntur: vigilant, sudant, adeunt inimicitias, subeunt tempestates, cum multis improbis dimicant, hoc tantùm fine, suos ut alumnos è voluptatum cœno eruant, & ducant ad edita doctrinâ sapientum templa serena, ad virtutis arcem prouehant, ad summum honoris, & gloriæ fastigium extollant. Et tamen

tamen sapissime uolunt saxum Sisyphi, multumq̄
conando ne hilum proficiunt, & quos fore optimos
augurabantur, eos in belluas turpissimas degenerare
non sine dolore, sine horrore experiuntur. Hoc
itaq̄ malum unde suam trahere originem putabimus?

Illud uerò diuus Paullus Menandri versu,
quem sanctificauit in Epistolis suis, edisserit: φθείρω
σιν ἢ δὴ χροῶ, ὁμιλῶ καὶ κακῶ: Bonos corrumpunt mor
res congressus mali. Edisserit ille Græcorum senas
rius: κακοῖσ' ὁμιλῶν ἢ αὐτὸσ' ἐκβῆσιν κακοῖσ'. Malus is
ipse fiet, si cum malis vitam egeris.

Edisserit Plutarchus de liberorum educatione:
ἀν' ἡλώβῃ παροικησῆσ', ὑποσκάσειν μαθήσῆσ', iuxta claudum
habitans, subclaudicare disces.

Hæc uerò nostri fundi maxima est calamitas,
quæ lactescentem pietatis, & virtutis segetem, ceu
grando quædam frangit, & obterit: ceu robigo exe
dit, & absomit: ceu diluuium inundat, & obruit, &
ea intercipit omnia, quæ parentes & Præceptores ca
pere debebant. Et cæteris quidem de sodalitijs iam
nihil dicam; de adulatoribus, gnathonibus, parasitis
catillonibus, quod genus hominum pestilentissimum
est, in medium pauca, si placet, afferam.

Quod itaq̄ Comicus inquit, apud magnates
primas tenere assentatorem, secundas sycophantam,
tertias malitiosum: id de filijs Heroum uerius esse,
quàm uel expedit reipubl: uel priuatis familijs con
ducit, experientia, quæ stultorum etiam poterat esse
magistra, satis superq̄ testatur. Vt enim muscæ cir
ca culinas volitant, & cænaculorum parietibus adhæ
rescunt:

rescunt: ita parasiti non nisi locupletiores, & nobiliores
ores consecretantur adolescentes: horum obsident for-
res, horum itus, & reditus obseruant, & scurrilibus
iocis, seruilibus blanditijs, falsis dicterijs, argutis ca-
lumnijs, sordidissimis officijs, loquendo assentatorię,
faciendo turpiter, patiendo ignominiosę, eorum dor-
mos, culinas, loculos, arcas, quin animos etiam ipsos
aperiunt, & recludunt, ut rapinis & flagitijs omnibus
omnia pateant.

Quid enim facilius his mastigijs, quàm adoles-
centes rerum imperitos, qui nec per ætatis temerita-
tem sapere, nec per imbecillitatem constantiam tueri
possunt, sensim ad turpissimorum scelerum, & gra-
uissimorum malorum præcipitia uel inuitos abdu-
cere.

Iubent parentes liberos, præceptores discipu-
los iubent, ut religioni sint dediti, pietati dent ope-
ram, sacras audiant conciones, preces ad Deum assis-
duas fundant, præmia sperent, pœnas metuant. Hi
uerò nostri κερκοπίροντες, quæcunq; ad sacra perti-
nent superstitionem, pietatem ridiculam peruasior-
nem, Dei verbum inanes fabellas, preces odiosam
βαπτολογία, spem præmiorum vigilantium somnia,
metum pœnarum commenticia μορμολοκεία inter-
pretantur.

Monent parentes, præceptores monent, ut
Iuuenes ad veram adspirent eruditionem, ad sapien-
tiam appellant animos, eloquentiæ incumbant, quò
rei

reipubl: quondam & dicendo, & faciendo utilem o-
peram nauare possint. At hi nostri κροκιδίζοντες li-
teras aiunt esse nugas, eruditionem animi mollitiem,
sapientiam suaue quoddam delirium, eloquentiam uel
loquacitatem rabularum, uel mulierum garrulitatem:
Deniq; nihil homine forti, animoso, equestri, stre-
nuo, pugnaci, bellicoso minus conuenire, quàm hu-
maniores disciplinas clamitant. Apud Germanos
olim viros pariter & mulieres secreta literarum aiunt
ignorasse: feliciter & hoc tempore geri, administra-
riq; reipubl: non si ad eius clauum scribæ sedeant,
non si docti nauim gubernent, sed si nobiles, si milites,
si equites gubernacula imperiorum tractent,

Suadent parentes, præceptores suadent, ut si-
ne profusione sumtuum parcè, sine spurcitie libidinum
castè, sine ingluuie sobriè, sine petulantia modestè
uiuatur. At hi nostri γασσίμαργοι, quæ nam suis alum-
nis præcepta suggerunt? Parentes circumuenire, ar-
gento senes emungere, omnia abligurire, decoquere,
profundere, psaltrias emere, pueros symphonicos
alere, scorta ducere, helluari, pergræcari, tumultua-
ri, obuios tundere, cædere, prosternere: ad summam
hoc unum dare operam, ne homines ratione, sed leo-
nes feritate, lupi immanitate, simiæ ineptijs, sues lu-
tulentis sordibus esse videantur.

Quis itaq; dubitarit & satius esse multò, uel sexa-
centies εἰς κόρακας, quàm semel εἰς κόλεκας incidere.

Quis negarit? optabilius esse uel
F 4 millies

millies de Saxo Tarpelo præcipitem desilire, quàm
semel hæc in sodalitia semetipsum conijcere. Quis
non senserit? tolerabilius esse, uel minutissimas in
particulas ab Actæonis canibus discerpi, quam semel
harum bestiarum morsibus laniari. Tales itaq; ma-
gistros impietatis, præceptores libidinum, doctores
flagitiorum, si Heroum liberi fortiantur: fieri certè
non potest, quin devium à virtute sectentur iter, &
in aliquod omnium flagitiorum diuerticulum, & gurgu-
stium se proripiant.

Exemplo nobis esse Catilina poterit, qui claro,
& patricio genere vi maximâ corporis, & animi cum
natus esset: cum inediâ, vigiliâs, algores, omnis
generis labores, suprâ quàm cuiquam credibile sit,
ferre posset: sub Sylla magistro ita flagitijs, & scele-
ribus turpissimis fuit imbutus, ut non tantum fra-
trem, uxorem, ciues nobilissimos crudeliter necaret,
nefanda supra faceret, ex eodem incestu & uxorem
& filiam inveniret, prouincias diriperet, leges, qua-
stiones, iudicia eluderet: sed etiam horum facinorum
Magister, impudicorum, adulterorum, ganeonum,
decoctorum, obælatorum, parricidarum, sacrilego-
rum, iudicijs conuictorum, periurorum, sicariorum
greges circâ se quotidie haberet: adeo naturæ ἀγρίαι
μελεῖσ καὶ ἀγριφρονες degenerant, si in prauæ discipli-
næ solo depangantur. Sed nox citius diem adimet,
quàm incommoda, quæ μύρια ἐπιμυρίασ ab assenta-
torum grege ad ingenuos redeunt adolescentes, enu-
merare possim.

Superest ut ultimam caussarum moralium bre-
uiter

ulter exponam, quod simul atq; fecero, litus incipiam legere, & in portum me recipiam.

Ea ueró si qualis sit, scire cupias: Plautum in consilium adhibeto, qui tribus, quod aiunt verbis, quæ in bonâ causâ planè sufficiunt, respondebit: Secundas fortunas decent superbiæ. Respondebit Seneca Poeta grauiissimus: Dominare tumidus, spiritus altos gere: sequitur superbos victor à tergo Deus.

Omnes enim, qui in hanc vitæ humanæ scenam varijs induti personis ingredimur, res aduersas tolerare non volumus, & tamen secundas moderate ferre non possumus. Simul atq; fortuna blandiri nobis, & arridere cœperit, & ad honores, ad potentiã, ad diuitias nos prouexerit: insolescimus, intumescimus, cristas erigere, supercilia tollere, superbire, ferocire, luxuriare, calcitrare, Deos & homines pensi non habere incipimus. Vbi enim uber ibi tuber: & præclare Xenophon, difficilius ait inveniri, qui secundam fortunam benè ferat, quàm qui aduersam sufferat: quod illa in plerisq; vim & iniuriam prouocet, hæc continentiam, & moderationem in omnibus efficiat. Hic τῦφος plus quàm Aphricanus in Heroum liberis ferè semper conspicitur.

Tantos enim è parentum auctoritate, potentiã, gloriã, diuitijs, memoriã concipiunt Spiritus, ut fas & nefas, æquum & iniquum sibi indiscriminatim concessa putent, & nullis à piaculis animum abducant, oculos auertant, manus abstineant: probrum inferunt castis, labem integris, infamiam bonis, iniuriam omnibus, quæ arrogantia verè similis est aquæ stygiæ, quam si præcordijs conceperis, viscera con-

G

tinuò

tinuò alligat, & summa celeritate haurientes strangu-
gulat, Omnem enim superbiam non tantùm ho-
mines oderunt, & premunt: sed ipse etiam Deus a-
uersatur, abhorret, execratur, & Adrastiam submittit
Deam, quæ pœnas ab insolentiâ debitas quidem, sed
funestas admodum, & luctuosas sumit.

Efferuntur arrogantiam magnorum virorum
posterius: adest è vestigio cæleste numen, & velut au-
riga quidam equum ferocientem loris, cespitantem
stimulis, sternacem flagris compescit. Rebus se-
cundis extuberant, & exuberant: Ecce tibi Saturni-
um illum patrem, qui in morem agricolæ falcem im-
mittit in hunc luxuriantem agrum, & superflua demer-
tit, stringit folia, frondes defringit.

Fortunâ prosperâ inflantur, & turgescunt: Ecce
tibi medicum, qui sanguinem mittere, qui flatus
subducere, qui noxios è corpore humores deriuare
possit. Suam felicitatem cum Tantalò κατὰπέψαι seu
concoquere non possunt: Ecce tibi balneatorem,
qui thermis Neronianis eos foueat, calefaciat, resti-
tuat.

Quod si nihil emollientibus hisce medicamen-
tis proficiatur: eisdem Deus ut insanabiles deserit,
vt nocentes perdit, vt sceleratos & perditos ex omni
memoriâ tollit.

Hanc ad Tragoediam illud Pythagoræ de Res-
bus publ: non incommodè referri posse videtur, qui
in ciuitatem ait primùm ingredi κόρον, quam excipiat
τρυφή, cui ὕβρις succedat, donec ipsa tandem παύλας
ἄρτια subsequatur. Poteramus quamlibet multis &
rationum momentis, & nobilissimorum hominum
exem-

exemplis demonstrare, singulis in familijs iisdem gradibus ad interitum festinari: sed nec temporis breuitas, nec aures vestrae patientissimæ, quas mihi satis diu præbuiſtis, longiorem ferunt orationem: ideoq; vela lubens contraham, & tandem nauim hanc nostram in litus subducam.

Vobis auditores optimi gratias ago sempiternas, quod me de rebus magnis tenuiter differentem beneuolè audire, & patienter sufferre non grauati estis, quod beneficium ex animo meo, dùm vixero, non elabi patiar.

Deum verò qui solus imperijs suas metas posuit, suas familijs periodos descripsit, supplicibus votis oro & imploro, vt sub hoc mundi iam affecti & propè confecti crepusculo ad nos diuertat, commoretur nobiscum, & in hac illuni plurimorum errorum nocte puram veritatis, & pietatis lucem in animis nostris accendat, donec illucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Tueatur & conseruet, moderetur, & gubernet Illustrissimam domum Saxoniam, cuius gloria propter egregiam pietatem, nobilitatem vetustissimam, rerum gestarum magnitudinem, singularem prudentiam, clementiam admirabilem, eximiam liberalitatem, iisdem continetur metis, quibus orbis terrarum circumscribitur. Faxit Deus optimus maximus, ut his sub arboribus diutissimè vitam agere ab erroribus liberam, à sceleribus immunem, à periculis tutam possimus: & hanc mentem Illustrissimis Principibus largiatur, vt heroicas maiorum


virtutes, non æquare tantùm, sed etiam superare
conentur;

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Deniq; toto precamur pectore, ut cætus do-
centium & discipulorum in scholis Deus umbrâ suarum
alarum benignè protegat, ne vel morborum conta-
gio, uel bellorum metu, vel animorum distractio-
ne quasi fumo quodam suis abigantur ex alueo-
lis, & dissipentur: Sed faciat ut omnes uno
conatu gloriam ipsius deuotè ampliemus,
strenuè prouehamus salutem publi-
cam, & nostræ ipsorum inco-
lunitati sedulo prospiciamus.

F I N I S.





B.I.G.

Farbkarte #13

B. m. II



TIONES II.

PROVER.

LOVM FILII

AE SVNT,

ET RECITATAE

lenensi die 11. & 31.

A. O. R.

10. XCII.

A

Wolfgango Heidero

Profess: Publ:



PHENAE,

Matthi Richtzenhan,

92

25

